

Paul Christian Henrici

**De Stvdio Homerico Provsio ...**


**Altera : A. D. III. Aprilis Ab Hora X.**

Altona: Ex Officina Bvrnesteriana, MDCCLXXXIX.


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1701038420>**


Band (Druck) Freier  Zugang





Kp - 395 (3)  
K.p - 395 (3.)





DE  
STVDIO HOMERICO

PROLVSIO ALTERA

---

QVA

VLTIMAS ORATIONES

QVORVNDAM

CHRISTIANEI ACADEMICI

CIVIVM

A. D. III APRILIS AB HORA X.

RECITANDAS

INDICIT

PAVLLVS CHRISTIANVS HENRICI

REGIS A CONSILII IUSTITIAE

ELOQ. ET POES. P. P. GYMNASII DIRECTOR.

---

ALTONAE,  
EX OFFICINA BURMESTERIANA  
MDCCLXXXIX.





Persequemur hac Prolusione superioris, quam ab hinc  
biennium de **STVDIO HOMERICO** inscripsi-  
mus, argumentum: ac quemadmodum tum,  
quod in enarranda Iliade versabantur scholae nostrae, illam nobis  
sumsimus Iuuenibus nostris commendandam; ita in praesenti,  
qui legendae Odyssaeae publicum exinde laborem impendimus,  
ad hanc interpretandam quid operae diligentiaeque contuleri-  
mus, simili ratione exponemus, vt qui adhuc recitationibus  
interfuerunt, dicta auditaque repetere, et qui postea interfuturi  
sunt, praeparationem adhibere auditioni, hoc commentariolo  
adiuti, possint.

Sunt, qui legendi cum iuuentute Homeri initia ab Odyf-  
sea potius capi iubeant, quod et intellectu facilius videatur  
Iliade, et ipso argumento magis alliciat iuueniles animos, qui  
narratiuncularum episodiorumque suauitate, ipsaque varietate  
locorum & itinerum mirifice delectentur. Non male quidem  
illi. Enimuero si iuuenes contigerint excitatoris ingenii, et  
qui iam aliquid intelligant, ipse rerum temporumque ordo, vt



IV

lecta prius Iliade ad Odyffeam progrediantur, suadet. Nifi forte consultius duxeris, de Vlyffis ceterorumque ducum, confecto bello, reditu tibi exponi prius, quam ad bellum profectos, et res ab illis gestas fcieris, et redditam Menelao Helenam ante cani, quam raptam fuisse cognoueris. Accedit, quod expeditius ac maiori cum voluptate lecturus fit Vlyffis itinera et casus ancipites, qui ex rebus aliis cognitum habuerit Vlyffis ingenium animumque.

Credidi quondam CLERICO Art. crit. P. I. c. III, quod in linguae Latinae studio rectissime fit, idem in addiscenda Graeca tenendum esse, vt ab auctoribus profaicis incipiatur. Sed vsu et experientia, caussisque rei perpendendis didici, vtilius a poëtis, inprimis ab Homero, haustis ante linguae elementis, legendi initium capi.

Odyffeam ab Homero post Iliada confectam esse, et omnis antiquitas prodidit, et varii casus, quorum sunt in Iliade antecessiones, lectori facile persuadeant. Pulchre LONGINVS sect. IX, cum Iliadem in ipso aetatis et ingenii vigore conscriptam dixisset, Poëtam in Odyffea soli in occasum vergenti videri similem existimat, cuius, citra vehementiam ardoris, magnitudo permaneat: Odyffeam opus esse senectutis, sed senectutis Homericae. Quod si non idem, qui in Iliade regnat, spiritus, non concitatum illud dicendi genus in Odyffea apparet: hoc ab argumento esse puto, quod ipsum veluti senile, non heroum iuuenum iras, aectus, pugnas persequitur; sed

*quid virtus et quid sapientia possit,*

*Vile proponit nobis exemplar Vlyffem.*

s A

Mihi

Mihi quidem Odyſſea vim omnem virtutemque, quae cadere in eiusmodi ſedatum et quietum argumentum poſſit, praefere videtur. Tantum ſane abeſt, vt Iliadi concedat poëticae inventionis artificio, vt eam ſuperet etiam epifodiorum, quibus ſterile argumentum amplificatur, ſuauitate, et ſpecioſis miraculis, quae Horatius laudat; maxime vero illa, quam idem commendat, ordinis poëticae venere,

*Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici*

*Pleraque differat, et praefens in tempus omittat.*

Cum enim in Iliade temporis rerumque geſtarum ordinem ſequatur poëta; in Odyſſea aliam prorfus diſpoſitionem adhibet, et lectorem ſtatim in medias res immittit, quo ipſo incendit legendi ſtudium et expectationem tenet erectam. Itaque Odyſſeam ſibi tanquam exemplar proponere ſolent poëtae ſcenici, epici, fabularum romanenſium ſcriptores: vt lex paene conſtituta ſit in huiusmodi ſcriptionibus ſeruanda.

Sed haec ipſa artificioſi vereque epici ordinis ratio, quo magis a vulgari recedit, hoc magis etiam poſtulat, vt ſeriem totius operis et argumenti ſummam ante perſpiciat et teneat, qui legere Odyſſeam iucundius, nec haerere ſubinde veluti errabundus volet. Cuius inſtituendi conſilii haud ſcio an facilior ratio ſit, quam vt totum carmen in partes ſex tribuatur, quarum quaeque libris quatuor conſtet. Liceat nobis hanc diſtributionem, retentis vbi viſum fuerit, verbis ERNESTII, viri de Homero poſt Clarkium longe meritiffimi, qui vt Iliadi, ſic Odyſſeae ſummam carminis vniuerſi praemiſit, paullo diſtinctius ac partitim perſequi.

## TETRAS PRIMA.

*Haec Telemachi in Ithaca statum et itinera complectitur: illum quidem duobus libris primis; haec duobus reliquis.*

Lib. I. Decreto in concilio primo deorum Vlyffis in patriam, vnde eum Neptunus iratus arcebat, reditu, Minerua Mentis, hospitis Vlyffei, adsumta specie, in Ithacam profecta impellit Telemachum, vt Pilum ad Nestorem, et Spartam ad Menelaum iret de patre sciscitatum.

Lib. II. Telemachus, cum congregata concione procos domo patris exire iussisset, conscensa naui iter suscipit, comitemque se peregrinanti praebet Minerua sub specie Mentoris, quem Vlyffes abiens rei domesticae praefecerat.

Lib. III. Pilum venit ad Nestorem: vnde comitante, cum Mentor alio discessisset, Pifistrato Nestoris filio, iter alterum facit.

Lib. IV. Spartam terrestri itinere petit, ad Menelaum et Helenam. Interea proci mittunt qui, redituro insidentur.

## TETRAS SECVNDA.

*Hic ipsam demum Odyssream auspicatur poëta, et Vlyffis fata, itinera, enarrare incipit.*

Lib. V. Ex secundo deorum concilio Mercurius, Iouis in Ogygiam insulam ad Calypsonem legatus, dimittere Vlyffem, quem detinuerat, iubet. Hic profectus naui, quam ipse fabricatus erat, opprimitur tempestate a Neptuno immissa, factoque naufragio enatat nudus in insulam Phaeacum, Scheriam.

Lib. VI. Ibi a Naulicæ, regis filia, quam ex ea gente primam prope litus salutasset, veste donatus domum patris, Alcinoi regis, venire iubetur.

Lib.

Lib. VII. Cum venisset, benigne acceptus a rege et Arete, regina, huic quomodo ex Ogygia, relicta Calypfone, quae per integrum septennium detinuisset, eo delatus fit, refert. Roganti vt deducere se in patriam velit, annuit Alcinous.

Lib. VIII. In concione Phaeacensibus commendatur ab Alcino, et liberaliter conuiuuiis, ludis, donis tractatur. Denique vt nomen suum edat, vt fata, vt itinera narret, rogatur.

## TETRAS TERTIA.

*Haec factorum eius itinerumque narrationem habet.*

Lib. IX. Expugnata Troia, inde se cum duodecim nauibus suis ad *Cicones*, Troianorum focios, in Thraciam venisse, perditisque duobus et septuaginta militibus ad *Lotophagos*, gentem Africae mansuetam placidamque, delatum: inde ad *Cyclopum* in Sicilia terram, quorum immanissimum Polyphemum, postquam sex sibi focios deuorasset, vino somnoque domitum excaecauerit. (Hinc illa Neptuni, cuius filius erat Cyclops, in Vlyfsem indignatio.)

Lib. X. Ad *Aeoliam* insulam delatum, cuius rex Aeolus ipsi tradiderit vtrem, in quo ligati essent venti, excepto Zephyro, quo ad Ithacam reduceretur. Soluta a focis vtrem, cum in conspectu iam fuisset Ithaca, rursus, vnde venerat, reiectum fuisse. Venisse ad *Laestrygones*, in litore Italiae Cyclopum genus: quorum rex Antiphates, alter Polyphemus, postquam de missis focis vnum deuorasset, etiam naues undecim vna cum viris demersisset, vix se cum vna nauis effugisse. Ad *Aeaeam* insulam, Circae sedem, se deuectum, annum ibi cum suis degisse. Eius monitu Plutonis regna inferosque, vt *Tiresiam* vatem consuleret, se adiuisse.

Lib.

## VIII

Lib. XI. Quo cum per *Cimmeriorum* tenebras deuenisset, ante ceteros heroum manes, sacrificio facto, sibi euocatum fuisse Tiresiam, ab eo se monita de futuris itineribus accepisse. (Haec est nobilis illa *νεκρομαντεία*, quam nos cum Aeneidos libro sexto contulimus.)

Lib. XII. Ad Circen iterum deuectum esse, quae ipsi disertius quam Tiresias, itinerum pericula futura praedixerit  
1) *Sirenium* insulam, 2) *Scopulos* binos, ad dextram quidem *Planctas* (petras errantes), ad sinistram *Scyllam* et *Charybdim*, 3) *Trinacriam* insulam, ubi Solis boues ouesque pascerentur, quas caueret, ne tangeret. Sirenes quidem et *Planctas* se praeternauiasse incolumem; sed *Scyllam* e fociis abripuisse sex, eosque praestantissimos. In *Trinacria* cum diis supplicaturus paulum secessisset a suis, maectatas ab his fuisse de bubus Solis nonnullas: inde profectos infecutam fuisse cum fulmine et tonitru procellam, quae in mare proiiceret omnes; fracta naui, se solum carina infidentem in *Charybdim* impulsam, tandem ad *Ogygiam* delatum, et a *Calypso* amice exceptum.

Longius est illud narrantis episodum; sed, quoniam feriem itinerum ordinatam continet, probe notandum. Memoriam inuabunt vericuli quatuor, totidem libros complexi:

*Nonus* habet *Cicones*, post *Lotophagosque* *Cyclopem*.

*Aeolus* in *decimo*, *Antiphates*, reuidendaque *Circe*.

Tum per *Cimmerias* iur *Plutonis* ad *umbras*.

*Sirenes*, *Scopuli*, *Solis* grex, inde *Calypso*.

TETRAS

## TETRAS QVARTA.

*Tandem Ithacae suae redditus Vlyffes, extra urbem aliquantisper apud Eumaeum subulcum commoratur ignotus.*

Lib. XIII. Vlyffes noctu a Phaeacibus in Ithacam nauī deductus in litore exponitur dormiens. Expergefacto adest Minerua, suumque auxilium, quo procos interimat pollicita, suadet, vt Eumaeum adeat. Quo tutius fallat, deformat in senem mendicum, depilem, tunica lacera, pera, baculo infruit.

Lib. XIV. Ex Eumaeo cognoscit de statu rerum suarum, de Penelopae fide, de procorum iniuriis, de Telemachi itinere et parentibus suis.

Lib. XV. Interea Lacedaemonem profecta Miuerua Telemachum iubet parare reditum in patriam. Qui consilio ipsius adiutus euadit structas a procis insidias.

Lib. XVI. Primum adit monitu deae eundem Eumaeum: vbi dum hic abest ad Penelopem missus, quo Telemachi reditum nuntiaret, ei se aperit Vlyffes soli, et quomodo tollendos procos putet, indicat.

## TETRAS QVINTA.

*Vlyffes, relicto rure, in urbem venit.*

Lib. XVII. Primus in urbem domumque redit Telemachus: post eum ab Eumaeo ductus Vlyffes pannis obfitus, mendicaturus. Hic agnoscitur primum a cane. A procis, quos mendicatum adit, durius tractatur.

Lib. XVIII. In eum inuehitur Irus, mendicus vagabundus, inuehuntur ancillae, nec inuita Minerua peruicaces proci.

Lib. XIX. Vlyffes semouendis noctu per absentiam procorum armis, omnibus illis necem machinatur. Ipsum de

B

Vlyffe

Vlyffe percontatur Penelope. E cicatrice, dum lauat, agnoscit Euryclea, sed tacere iubetur.

Lib. XX. Vlyffi, per noctem inquieto, animum addit Minerua. Secunda ipsi a Ioue omina; dira procis portenta.

#### TETRAS SEXTA.

*Caede procorum, et aliorum, qui cum illis fecerant, denique agnitionibus Vlyffis fabula soluitur.*

Lib. XXI. Penelope indictum procis arcus certamen fieri iubet. Eumaeo et Philoetio, seruatorum fidelissimis, se aperit Vlyffes: mox accepto arcu, rem, cui impares fuerant omnes, solus praestat.

Lib. XXII. Hoc ipso arcu, eisdem sagittis primum procos aggreditur: deinde, scuto ipse et galea armatus, hastis. Cum illis non esset elabendi facultas, interficit impune omnes. Phemio cantori, et Medonti praeconi parcit. Supplicio puniuntur famulae impudicae, et Melanthius caprarius.

Lib. XXIII. Vlyffes a Penelope subdubitante aliquantisper, et percontando fidem tentante, tandem, manantibus prae gaudio lacrimis, agnoscitur.

Lib. XXIV. Procorum manes a Mercurio ad inferos ducuntur. Vlyffes ad Laërtem patrem venit, et lugenti propter absentem filium seni se ostendit. Ithacenses, duce Epithe, patre Antinoi, qui inter procos caesus erat, instructa acie adversus Vlyffem egressi, placantur interuentu Mineruae, atque ita pax vtrinque componitur.

Primam Homeri principemque virtutem recte collocari puto in nobili illa simplicitate, qua rerum hominumque naturam

ram

ram imitetur ita, vt ab ipso vitae morumque exemplari veras duxisse voces videatur. Hac maxime consecutus est illam propriam laudem, vt omnium temporum aetatumque poëta haberetur, et exemplum ad quod veri et pulchri indicium exigerent quicumque imitari naturam vellent. Scite inter hos imitatores POPIVS refert Maronem, qui, cum Aeneidos auctor futurus initio dedignatus fuisset aliunde, quam ab ipsa Natura artis suae praecepta accipere, mox inter Naturam et Homerum nihil prorsus interesse repererit:

*Nature and Homer were, hi found, the same.*

Dulcedinem, qua sua quemque patria allicere solet, quam suauiter ad naturae veritatem expressit in Vlyssæ: amorem inter coniuges mutuum, in eodem et Penelopae: liberorum erga parentes pietatem in Telemacho! Iam patris ereptum sibi filium lugentis sensum non in Nestore pingit? Qui cum in ducum apud Troiam interemtorum recensu III. 108 sqq. cum de Aiace, de Achille, de Patroclo triste illud *ενθα κειται* protulisset, addit:

*Ενθα δ'εμος Φιλος υιος αιμα κρατερος και αμυμων*

*Αντιλοχος.*

Quam ad excitandam aduersus miseros et egenos, qui munusculi aliquid petant, misericordiam aptum est, et ab ipsa natura profectum illud VI, 207, it. XIV, 47,

*προς Διος εισιν απαντες*

*Ξεινοιτε, πλωχοιτε δοσις δολιγητε, Φιλητε.*

Ad fortitudinem in sustinendis aduersis erigitur mens nostra, dum similia nos antea vel grauiora etiam perpeffos cogitamus. Itaque haec cogitantem inducit Vlyssiem: sed



## XII

nouam vim addit sententiae, quod inducit alloquentem et cohortantem animum suum XX, 18,

Τλαθι δη, κραδιη και κυντερον αλλο ποτ' ετλης.

Non magni momenti videri possit, sed vera tamen est moris humani imago, quod Vlysssem, cum super mensam ex Eumaei narratione, vehementi in procos ira commoueretur, raptim comedentem ac bibentem festinantius facit, vt qui adfecto animo vindictam meditaretur: hoc enim qui inter edendum perturbatione quadam incitantur, facere solent. Pariter in Penelope, cum accurrentium famularum strepitu expergefata genas sibi manibus abstergit, XVIII, 198, bene pinxit, vt adnotauit ad hunc locum Ernesti, gestum euigilantium non sponte, et nondum fatiatorum somno. Pudicae virginis verecundiam natiuo colore repraesentat in Nausicaa. Admonuerat eam Minerua in somnis visa, ad labra prope litus vt abiret vestes lotura, quod instarent nuptiae. Itaque a patre currum sibi praeberi petit, allegatque lauandarum vestium causas aliquas, sed principem illarum, promissas a Minerua nuptias, adferre verecundatur. Pulchre sentit pater, quod virgo reticuerat, et instrui currum iubet.

Nec minus naturae conuenienter in mendicum Vlysssem, insulse et illiberaliter iocantes inducit Melanthium, caprarium, et ex procis Eurymachum: quorum ille XVII, 232 seruili et digno plebe acumine futurum iactat, vt multa scabella in eum proiecta a costis ipsius deterantur (es würden sich viele Fußschemel an seinen Ribben die Ecken abstossen); hic accensum ignem nutrientis caput glabrum (quod seni Pallas effecerat), cauillabatur, qui non sine dei alicuius iussu aduenisse diceret  
facium

facium in coenaculo splendorem caluitie sua aucturum. Praetereo, ne longus sim, animalium, rerum, locorum naturam ita descriptam ab Homero, vt eius picturam, non poësin, videamus.

Atque illo naturae et animaduertendae follerter, et accuratius imitandae exprimendaeque studio factum est, vt dicta ipsius in consuetudinem prouerbiorum venirent, vt Homero apud Graios contigisse videatur illa BOILAVII apud Gallos suos gloria, qui vidisse se nonnunquam scribit, commode sibi falseque dicta dulciter adficere lectorum animos, et protinus prouerbia fieri:

*Et par le prompt effet d'un sel rejouissant,  
Devenir quelquefois proverbes en naissant.*

Multa ex Homero in Adagiis collegit Erasmus Roter. Nobis vel tria suffecerint, quae inter legendum in primis placere. Ex IX, 370, vbi Polyphemus muneris loco, postremum se Vlysses deuoraturum, promittit, est illud *Cyclopi donum*: quo malum significatur serius nobis, quam aliis inferendum. XIV, 214, *Εκ της καλαμης γνωσκειν*, ex stipula iudicare, scil. aristas, cum ex indiciis in sene relictis cuiusmodi adolescens fuerit, coniicimus. XVI, 294, *αυτος εΦελκεται ανδρα σιδηρος*, ferrum sua sponte virum allicit, h. e. conspecta arma facillime efficiunt, vt pugna ineatur, vel, vt latius patere solet prouerbiorum vsus, oculis visuque commouetur cupiditas. Ab Vlyssis cursu XII, 235 repetendus est tritus, nescio quo auctore, versiculus, *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim*.

Ex simplici et non adfectata dicendi ratione, quae et ipsa naturam sequeretur, enata est facilitas ad sermonis etiam fami-

## XIV

liaris vsuum transferendi versiculos Homeri vel integros, vel leuiter immutatos. Iubet Tiresias XI, 121, proficisci Vlysssem donec ad homines peruenisset, qui non nossent mare. Hunc versiculum suum fecit Atheniensium aliquis, qui Philippum regem fugeret, interroganti quousque fugiturus esset, respondens, εἰσοκε τῆς ἀφικωμαι, οἱ ἐν ἰασί Φιλίππον. Versiculum XVI, 181, Ἄλλοιος μοι, ξεινε, Φανης νεον, ηε παροιδεν, quo Telemachus Vlysssem alloquitur, subito a Minerua ex fene mendico in virum elegantis formae mutatum, commode Plutarchus (de discrimine amici et adulatoris) ab externa corporis specie ad animi indolem et adulatoris leuitatem transfert. Plura huiusmodi passim reperias: et possit lector, qui hoc agat, saepius inuenire, quae ad alia accommodet. Repeto e. c. quod adferre me memini ad X, 514, vbi Cocytus, inferorum fluius, esse dicitur Stygis aquae riuus, posse ad vinum sulphuratum transferri hoc Στυγος ὕδατος ἐστὶν ἀπορρωξ.

Cuiusmodi in Iliade notauimus versuum et hemistichiorum repetitiones, crebrius etiam in Odyssæa animaduertimus. Quod enim ad naturae verique similitudinem dictum est, cur non idem et alia occasione simili placiturum putaret Poëta, praesertim in illa priscae aetatis simplicitate? Texenda et retextenda tela, vt hoc vtar, Penelope quomodo lactauerit procos et falsa spe produxerit, Telemacho narrat Antinous II, 93, sqq.: idem iisdem verbis Vlyssi personato refert ipsa XIX, 139, denique apud inferos XXIV, 127, Agamemnoni Amphimedon, caedis, qua perierit, causas exponens.

Herois sui personam concinnauit Homerus tanto consilio, vt nunquam non cognomini suo respondeat ille πολυμητις et πολυτλας Οδυσσευς, qui

*multorum*

*multorum prouidus vrbes*

*Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,  
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa  
Pertulit, aduersis rerum immersabilis undis.*

Ingenii sollertiam tum ex multis rebus aliis, tum ex non vna de genere suo, de itinere suo, pro temporum varietate conficta narratione, cum iucunda lectionis voluptate cognoscimus. Contendat narrata cum narrantis consilio, qui hac frui delectatione volet. Commentitia de se narrat personatae Mineruae XIII, 256 sqq. Aliter conficta Eumaeo XV, 199: rursus aliter Penelopae nondum agnitus XIX, 172; denique, adsumto Eperiti nomine, et Laërti patri. Vbique verum reperiet quod de Vlyffe Homerus XIX, 203 dixit,

*Ισκειν, ψευδεα πολλα λεγων ετυμοισιν ομοια,*

hoc est, quod de ipso Homero amicus noster,

*ita mentitur, sic veris falsa remiscet,*

*Primo ne medium, medio ne discrepet inum.*

Amoenissimi ingenii commentum est, quo sibi laceratis pannis tecto, propter frigus nocturnum laenam ab Eumaeo petit XIX, 462 sqq.

Sunt, qui in commentis modum naturae excessisse, et vltra veritatis similitudinem progressum dicant Vlyffem, certe in illis apud Phaeaces narrationibus. Sed hi velim ingenium ac mores populi, et principum in aula Alcinoi indolem cogitent, qui ad credulitatem propensi auidis auribus haurirent illa

*speciosa miracula rerum,*

*Antiphatem Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim,*

qui coenas duci cuperent fabellarum lautitiis, et quorum sibi voluntatem, vt dona hospitalia largius praerberent, vt instructa  
naui

XVI

naui domum deducerent, non alia magis re conciliari posse intellexisset. Et quidni Vlyffes illis, qui naues suas credi vellent sensu et mente praeditas, moueri vectorum nutu, nec gubernaculis, nec gubernatore opus habere, illis ergo cur non similem gratiam et par pari referret?

Qui longiorem in narrando Vlyffem censent, non reputasse mihi videntur hominem, qui fata sua, qui itinera exponat cupidis auditoribus. Ceterum dilucidae breuitatis exemplum legent XX, 310 sqq. vbi Penelopae coniugi itinera sua et apud Phaeacas commorationem, sex vel septem antea librorum argumentum, triginta versibus narrat. Eidem Telemachus matri, simili breuitate de itinere suo ad Nestorem, et Menelaum exponit XVII, 109 sqq.

Ego adhuc non vidi, qui Homerum ipsum legere posset, quin amaret bonum senem, quin legendum sibi iterumque legendum putaret, et dulcissimas sibi horulas effluxisse diceret, quibus cum illius aetatis heroicae animis veluti versaretur. Loquacitatis nomine qui reprehenderent, non Homeri, sed vulgaris alicuius interpretis lectores fuisse, deprehendi. Et sunt omnino hic atque illic versiculi, qui, quoniam venerem suam a suauissima linguae Graecae modulatione et quadam concinnitate sonora habent, nec reddi ab interprete, nec sentiri, nisi a Graece docto, possint.

Sapientiam Vlyffis quo admirabiliorem efficeret Poëta, ipsumque rerum, quae desperatae viderentur, exitum quo redderet probabiliorem, Mineruam induxit, et deae, quam sapientiae praesidem antiquitas colebat, ministeriis perfecta tradidit, quae ingenii humani vim superare viderentur. Haec comitatur Vlyffem, haec quid sequendum, quid fugiendum sit, docet,

docet, haec fortem habere animum iubet, haec ipsi aliorum hominum amicitias praeparat, conciliat, haec vocata et non vocata adest. Noctu arma, ne procis praefidio essent, femoventi lucerna aurea lumen Minerua praefert XIX. pr. Laudam cum hoc in loco versabamur, ex ROUSSAVII ad Lafarum carmine stropham, quam ab hoc ipso loco ductam putes. Postquam auxiliante Minerua variis periculis defunctum Vlysssem commemorasset, ita concludit:

*De la vertu qui nous conserve*

*C'est le symbolique Tableau.*

*Chaque Mortel a sa Minerve,*

*Qui doit lui servir de flambeau.*

*Mais cette Dèité propice*

*Marchoit toujours devant Ulysse,*

*Lui servant de guide ou d'appui:*

*Au lieu que par l'homme conduite,*

*Elle ne va plus qu'à sa suite,*

*Et se precipite avec lui.*

Quod faciendum est iis, qui ad virtutis sibi comparandae studium serio incumbunt, vt nullum diem praeterire sinant, quin excitent animum ad amorem virtutis, propositumque suum, cogitandis, quae virtutem sequantur, bonis saepius renouent: idem litterarum cultoribus faciendum puto, si qui vltra vulgares terminos progredi in illo litterarum campo cupient. Seuera lege persequantur iter institutum, et quotidie exsuscitent in se illius disciplinae, cuius se studiosos videri volunt, studium. Similem animi adfectum ad studium Homericum mihi transferant, qui hanc disciplinae humanioris partem colunt. Cogitent quam pulchrum, quam optabile esse debeat legere, intelligere posse scriptorem tum antiquissimum, tum

C

humani

XVIII

humani ingenii principem, cuius per omnes aetates lecti indicia apud praestantissimos auctores Graecos, Romanos, luculenta deprehendant, quem viri summi optimum conformandi ad naturae sensum ingenii magistrum iudicarint, denique

*Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,  
Plinius ac melius Chrysippo et Crantore dicat.*

Hoc ergo cogitent mihi Iuvenes, qui ad legendum Homerum accedunt: et faciliorem sibi in dies lectionem iucundiorumque experientur. Mirabuntur profecto, tam intellectu facilem esse, quem difficillimum audissent.

Sed studium illud quo alatur, et quasi impetu quodam incitetur, accedat concertantium inter se commilitonum aemulatio. In Athenaeo Gedanensium, cuius ego memoria ipsa recreor ac veluti rursus iuuenescō, solebamus iuvenes ὁμηροφιλοι, lecto Homero et ipso etiam comite, in aggerem urbanum, quo e Gymnasii area patet aditus, prodire ambulaturi: et tum obiecta forte specie, cuius similem legissemus, recitabatur versiculus vel hemistichium. Obuiam factus erat Patricius aliquis venator cum canibus, audiebatur illud de Telemacho in concionem prodeunte Οὐκ οἶος ἄμα τῶγε δὴ κύνες ἀργοὶ ἔποντο. Conspiciebamus ex vistulae ripa naues e Polonia onerarias plaustrorum more contectas, succurrebant alicui illae νηες αἰ ἀλος ἵπποι ἀνδρασι γιγνονται. Ad nauiculas remis impulsas succinebat alius ερετμα τα τε πτερα νησι πελονται, cet. In museo concertandi inter nos genus erat, si quis plures ad Homerum suum repetitos versiculos formulasue enotasset: quo de Iusu alio loco commemorare nos meminimus.

Reli-

Reliquum est, vt nomina subiiciamus Iuuenum oratorum, qui tum ceteris virtutibus, tum etiam studio Homericolaudabiles se nobis ac commendabiles reddiderunt.

Anni superioris auctumno vale nobis dixerunt

IOHANNES CHRISTIAN. BREMER,  
ALTONANVS.

IOHANNES FRIEDER. SCHVMACHER,  
TRENTHORSTENSIS.

FRIEDER. HENR. IACOB SCHORER,  
CREMPENSIS.

In praesenti ad dicendum prodituri sunt:

GODOFR. GABR. REIMER RAHTGEN,  
ALTONANVS.

*Animi sui in vale dicendo et discessu sensum* declarabit oratione vernacula.

IOSEPH. CONR. CHRISTIAN. AMTHOR,  
ALTONANVS.

*Vrbis patriae commoda et ornamenta* laudabit.

HENRICVS PETRVS DE CHARLES,  
SONDERBVRGENSIS.

*De iungenda beneficentiae iustitia* exponet.



HENRICVS IVNGCLAUSEN,  
CREMPENSIS.

*Artem semper gaudendi commendabit.*

WILHELMVS THIESSEN,  
ELMSHORNENSIS.

*Aestheticae quanta sit utilitas, ostendet.*

HANS FRIDER. GVSTAV. POLEMANN,  
PINNEBERGENSIS.

*De rerum humanarum vicissitudine dicet.*

CHRISTOPHORVS SEHT,  
ELMSHORNENSIS.

*Funesta ex bellis damna persequetur.*

CAROL. FRIEDER. CHRISTIAN. WASMER,  
ELMSHORNENSIS.


*Artis musicae laudes praedicabit.*

HANS WILDER,  
BVRGO FEMERENSIS.

*Graecos reliquis populis litterarum gloria praestitisse, euincet.*

Concioni litterariae vt praesentia sua celebritatem imper-  
tire ac splendorem velint VENERANDI GYMNASIARCHAE,  
MAECENATES, PATRONI, FAVTORES LITTERARVM  
ET EXISTIMATORES, per eum, quo bonas artes profe-  
quuntur, amorem, officiose et humaniter rogantur.

P. P. a. d. IV. Calendar. April. c10CCLXXXIX.





TETRAS QVARTA.

Tandem Ithacae suae redditus Vlyffes, ext  
tisper apud Eumaeum subulcum commoratur

Lib. XIII. Vlyffes noctu a Phaeaci  
deductus in litore exponitur dormiens  
Minerua, suumque auxilium, quo p  
suadet, vt Eumaeum adeat. Quo  
senem mendicum, depilem, tunica  
baculo infruit.

Lib. XIV. Ex Eumaeo co  
de Penelopae fide, de procoru  
et parentibus suis.

Lib. XV. Interea La  
machum iubet parare red  
adiutus euadit structas

Lib. XVI. Pri  
vbi dum hic abest  
tum nuntiaret, ei  
procos putet, i

AS QVINTA.

Vlyff  
re, in urbem venit.

Lib  
chus: r  
dicatu  
mer  
Eumaeo ductus Vlyffes pannis obfitus, mend  
noscitur primum a cane. A procis, quos  
durius tractatur.

II. In eum inuehitur Irus, mendicus vagabun  
tur ancillae, nec inuita Minerua peruicaces proci.

XIX. Vlyffes semouendis noctu per absentiam pro  
nis, omnibus illis necem machinatur. Ipsum de  
B Vlyffe

